



11/22.



Y b
484



255 Suppl.
N, # 22.

1, 972. N, 324.







L V C V L E N T A

DESCRIPTION,

Summa arte extructi Sa-
celli, in quo illustrissimorum
trium Electorum, & reliquorum
Principum, ac Ducum Saxoniae &c. mo-
numenta XXI. continentur, Fribergi
in Misnia, in templo collegiato,
cui à Beata Virgine no-
men est,

Jam primùm in lucem edita

à

M. MICHAELE HEMPELO
FRIBERGENSE.

IN FIDE VICTORIA.

BS(+)&

Æ

L I P S I Æ,

Michael Lantzenberger imprimebat.


ANNO MDLXIII.

BIBLIOTHECA
PUBLICAVIANA





AD
REVERENDISSI-
MVM, ET ILLVSTRIS-
SIMVM PRINCIPEM, AC DOMI-
NVM, DOMINVM IOANNEM
GEORGIVM, ADMINISTRATO-
REM MERSBURGI, DVCEM SAXO-
NIÆ, LANDGRAVIUM THVRINGIÆ,
MARCHIONEM MISNIÆ, DOMINVM
SVVM CLEMENTISSIMVM.



PRÆFATIO
M. MICHAELIS HEMPELI
FRIBERGENSIS.



*ERE BEATOS PRÆDI-
cat vox de cælo mortuos, qui
in DOMINO, hoc est, in ve-
ra FILII DEI agnitione,
& inuocatione, moriuntur, à
modo, dum illo ipso, quo in hac miseriarum, &
lachrymarum valle, placidè expirantes, mo-
mento suaviter obdormiscunt, in DEI ma-*

A 2

num,

P R Æ F A T I O.

num, seu CHRISTI gremium ad beatorum contubernium collecti, sanctorum Angelorum iucundo colloquio, & suavissima societate fruuntur, ut in pace ita sint, ne ulla plaga, neve tormentum ullum illos tangat, dum à facie malicia, ne spectatores futurorum malorum esse cogantur, ex hac vita erepti sunt. Siquidem DOMINVS sanctorum suorum animas custodit. Corpora verò ipsorum in sepulchris nullum dolorem sentiunt, sed somno dulcissimo oppressa gloriosam in die novissimo Resurrectionem, in qua conformia clarificato corpori CHRISTI resurgentia fulgebunt ut Sol in regno cælorum, expectant.

Idcirco subijcit vox de cælo: Requiescunt à laboribus suis, & opera illorum sequuntur illos. Ipse Dominus pollicetur iisdem copiosam in cælis mercedem. Propheta Jeremias iubet vocem eorum à ploratu quiescere, & oculos à lacrymis. Additur ratio: quòd sit merces operi eorum. Ne autem aliquis dubitet, confirmationis, certitudinis, & consolationis gratia

in illius

P R Æ F A T I O.

in illius admodum brevis periodi, duos tantum versiculos continentis, principio & fine dicitur, quod JEHOVA DOMINVS hoc loquatur. Propterea, bonorum, ut Sapientia liber loquitur, laborum fructus gloriosus.

Sicut igitur non casu nascimur, sic etiam non casu ex hac vita emigramus, sed iubente DEO hinc auocamur. Etenim ipse iubet nos, populum suum, vadere intra cubilia nostra, & claudere ostia nostra super nos, ut abscondamur modicum ad momentum, donec pertransseat indignatio. Sic iubet ascendere Moysen, & mori in monte Nebo: Sic Danielelem, ut vadat ad presinitum, ac requiescat.

Opinatur quidem humana ratio nos in puluerem redactos negligi: sed si rem diligentius consideramus, verbumque DEI consulimus, apparet DEVM sanctos mortuos ferè pluris facere, quàm viuos.

Dum Abelus, parui à parentibus & fratre estimatus, in terra degeret, videbatur etiam à DEO negligi: Sed post mortem DEVS



P R Æ F A T I O.

in sanguinem eius inquirat, ut manifestum fiat, mortuum ipsum in magno esse precio.

Hic Abelus mortuus, & sanguis eiusdem adhuc loquitur. Ipse Dominus meminit sanguinis iusti Abeli, & Zachariae, qui admonens in nomine Domini Regem, & populum uniuersum, cum lapidibus obrueretur, dixit: Videat DOMINVS, & requirat.

Origenes, Basilus, & alij dicunt, hunc ideò occisum inter templum & altare, quòd Mariam iam pregnantem in cœtu virginum collocasset, affirmassetq; ipsam à Spiritu sancto gravidam, Messie promissam matrem esse.

Thalmud de eo meminit, quòd sanguis eius, qui in occisione ad instar lapidis, sublato diuinitus corpore, obduruerat vehementer incitari, feruere, & ebullire inceperit, cum Titus caperet Hierosolimam, manesq; Zachariae clamasse: Litate Milites, litate milites Zachariae manibus, perfidia populi, magnatumq; occisi innocenter. Litate, inquam & sanguinem meum sanguine illorum compescite; Litate, in-

quam,

P R E F A T I O.

quam, donec ipse vobis dicam, sufficit, & meum sanguinem quiescentem videritis. Indeque factum esse, ut quidquid esset Sacerdotalis, Principalis, Iudiciarijque generis, & magatum in Hierusalem, sit iugulatum super illum sanguinem, nec prius desineret bullire, quam dixerit Imperator: Nihil super esse Magnatum, sed solum populum: ac tunc quidem sanguinem cessasse.

Innotescat precatur Psalmista in nationibus coram oculis nostris ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.

Admonentur hic illi, qui humano & Christiano sanguine satiari non possunt, quantum peccatum sit, sanguinem innocentem effundere. De sanguine Abeli dicit de cælo ipse DEVS: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: hic sanguis Zachariae litari sibi postulat, ut vindicetur. Quid futurum putemus in ultimo iudicio, cum Iudex iustus apparebit, & omnem iniquitatem iudicabit?

Cum itaque tam preciosa sit in conspectu DOMINI mors Sanctorum eius: corpora ipsorum

hono-

P R Æ F A T I O.

honorificè sepelienda, terraq; mandanda sunt.

Propterea verè pium, & homine Christiano dignum opus faciunt, qui sanctorum Patriarcharum Abrahami, Iacobi, Iosephi, aliorumq; imitatione, sepulchra suorum parentum, uxorum, liberorum, fratrum, & cognatorum pijs, & egregijs imaginibus, & picturis, in templis & cæmeterijs ornant, propter has gravissimas causas:

Primò, quia DEVS, ut dictum est, mortem sanctorum suorum magnificat, adeoq; in eos intentos oculos habet, ut omnia eorum ossa custodiat, ut unum ex his non conteratur.

» Vigilantes nos custodiunt sancti Angeli, euntes
 » comitantur, dormientes tuentur, surgentes
 » defendunt, morientibus astant, sepultos non de-
 » serunt; donec tempore Messis, quando in die no-
 » vissimo triticum in horrea colligendum erit, ab
 » iisdem in æthere Filio hominis, sedenti in cæli nu-
 » bibus super sedem gloriæ suæ oblati splendebunt,
 » & tanquã flamma in stipula discurrent, gentes
 » iudicabunt, ac dominabuntur populis, & regna-
 » bit super eos DOMINVS in æternum.

Deinde

P R Æ F A T I O.

Deinde ut nos de Resurrectione nostra admoneant, & testimonia nobis prebeant, nos contra Epicureos magnifacere Articulum de carnis Resurrectione, in qua corpora nostra claritate incredibili solem adequabunt: agilitate, & celeritate incomparabili solares radios superabunt: & in momento cœlum & terram peragrabunt, adeoq; pulchra erunt, ut ipsis Angelis, qui hac hora eorum aspectum exoptant, admirationi sint futura. Non immeritò igitur tabula ista, ut desiderio vitam æternam desideremus, nobis incitamento sunt, ut certò sciamus, nos, vero corpore, veroq; sanguine JESU CHRISTI pastos, & ablutos, eiusdem quoque morti esse inclusos, nostramq; Resurrectionem de ipsius pendere.

Tertiò testes etiam sunt tabula in Cœmeterijs, nos verò amore defunctos nostros, vivos esse prosecutos, atq; in ipsa etiam morte diligere, & dolere, quòd ipsorum consuetudine, ad breve tempus, fungi amplius nequeamus. Cum autem unà reputamus animo, eos non amissos, sed

B

præ-

P R Æ F A T I O.

premissos, rursus erigimur, ne tristitia nostra, quæ, si nimia est, cordis vires debilitat, cor discrutiat, mortemq; ante tempus accersit, modum, ut Syracides admonet, excedit, quia constat non procul esse diem Restitutionis omnium.

Hoc sine posita sunt hic apud nos, non solum in Cæmeterijs extra urbem, verum etiam in quatuor templis in urbe, plurima ex lapide, marmore, alabastro, orichalco, alijsq; materijs insignia Epitaphia: inter quæ Sacellum Illustrissimorum Principum, & trium Electorum Saxonie, in Basilica, templo nimirum Collegiato (quod ALBERTVS DVX SAX. FRIDERICI II. Electoris filius illustris, pater GEORGII & HEINRICI Ducum Saxonie anno 1480. edificauit, & die 14. Augusti à beata Virgine, cui quoq; dicatum est, nomen imposuit) summa arte extructum antecellit.

Antequam autem huius constitutionem enumeremus, Mauritanam prius, ingentibus sumptibus, miroq; artificio elaboratam tum-
bam, cum inscriptionibus, quas vir præstantis-
simus Georgius Fabricius Chemnicensis, com-

posuit,

posuit, cum explicatione, quam in conuentu so-
lenni Lipsia vir excellentissimus Joachimus Ca-
merarius Papebergensis, V. Id. Quintil. Anno
Domini M.D.LXIII. recitauit, præmittemus.
In fine verò, ut à quouis intelligi possint, inscri-
ptiones Germanicas, ut eæ orichalco insignitæ
indican singularum illustrium personarum no-
mina, et aetatem, diemq; mortis, addemus.

Hoc autem, quidquid est laboris Reue-
rendissime Domine Administrator, ac illustris-
sime Princeps, Domine clementissime, sub no-
mine & patrocinio Reuerendissimæ Celsitudi-
nis vestræ in publicum prodire volui.

Primò propter memoriam sanctissimam
illustrissimorum vestrorum maiorum, qui in
hac Urbe Friberga, cum summo vitæ periculo,
sinceram & puram Christianam religionem,
in scriptis Prophetis & Apostolicis compræ-
hensam, cum vero sacramentorum usu, primi
acceperunt, ac postea in hac tota regione foue-
runt, & contra omnium Diabolorum insultus,
ac insidias, totiusq; Mundi furorem defende-

P R Æ F A T I O.

runt, & in hunc usque diem, faxit omnipotens usque ad diem nouissimum, vobiscum conseruauerunt. Cum itaq; DEVM honorauerint, ab ipso etiam honore maximo vicissim affecti sunt, ut lato, & grato animo cum Psalmista canere possimus: **NON FECIT TALITER OMNI NATIONI, ET IUDICIA SVA NON MANIFESTAVIT EIS.**

Deinde, ut Reuerendissima Cels. V^e. me septuagenarium, qui auxilio Spiritus sancti, nunc in annum quadragesimum octauū Scholastico fungor munere, submissè commendem, ut in tranquillitate, & quiete hoc breue, quod restat, vitæ meæ tempus, in timore Dei, alijsq; pijs exercitijs consumere, in vera **FILII DEI** agnitione concludere, & ad omnium beatorum contubernium tandem venire possim.

Præterea quia non pauci honesti & eruditi viri magnis sumptibus, è peregrinis nationibus huc veniunt, & cum magna admiratione hoc insigne & memorabile opus intuentur, qui ante aliquot annos à me petierunt, & adhuc fermè quotidie petunt, ut illud luculenter

descriptum

P R Æ F A T I O,

descriptum publicarem. Horum autem petitioni satisfacissem, nisi sperassem commentarium meum, quem in verè aureum sapientia Salomonis librum, dignum ut à quovis Christiano, præsertim à magnis viris, sedulo legatur, in cuius decimi quarti capituli explicatione, ubi de nautarum idolis, & statuarum origine agitur, in publicum proditurum. Quia verò commentarius ille liberalem patronum adhuc invenire non potuit, & multi hanc editionem urgeant: Viris etiam honestis, honesta petentibus, mos tandem sit gerendus: hisce diebus Canicularibus, quibus paululum ocij à laboribus & pulveribus Scholasticis conceditur, hanc Epitomen ex totius ornatissimi illius templi cathedralis diligenti descriptione extractam, in hunc libellum in nomine DOMINI redegei, neq; dubito, quin sub illustrissimo Cel. V^a. nomine, & patrocinio cunctis, præsertim exteris nationibus, erit gratissimus: ac propter illustrissimos quoq; maiores, & parentes vestros Reuerendissima Clementia vestra iucundus. Pro-



P R Æ F A T I O.

pterea eidem nunc eum in manus trado, debita animi subiectione, humaniter rogans, ut benignè suscipiatur.

Quod superest DEVM æternum Patrem Domini nostri JESV CHRISTI, cum FILIO, & SPIRITU SANCTO ardenti pectore obsecro, ut Spiritu suo sancto Reuerend. Clem. V^m. ita per totam vitam illuminet, regat, atq; gubernet, ut AVGVSTO fortunatior, æquet felicitate DAVIDEM: compar sit sapientia SALOMONI: par fortitudine JOSAPHATO: similis pietate EZECHIAE: cernatq; dies MATHVSALAE.

Huic pio meo voto ut respondeat euentus, sacrosanctam, gloriosam & indiuiduam Trinitatem ex intimis cordis scrinijs precor, ac Reuerend. Cels. V^a. me senem & emeritum submisè commendo. Fribergi anno Domini 1603. die 11. Julij, quo ante annos quinquaginta illustriss. Elector Sax. Mauricius fortissimus Heros pro patria occubuit, iuxta nostrū Chronodistichon:

MaVRICIvs PrINCEps, CharVs VIRTvtIbVs heros,
Pro patria pVgnans fortiter oCCVbVIt.

Hoc est M. D. LIII. Anno.

IN FIDE VICTORIA.

DESCRI-



1

D E S C R I P T I O
S A C E L L I F R I -
B E R G E N S I S I N M I S N I A , & c .
I N Q V O I L L V S T R I S S I M O R V M
trium Electorum, & reliquorum Prin-
cipum, ac Ducum Saxoniae, &c. Monu-
menta XXI, continentur.



Isitur monumentum istud in ædiculæ tanquam exedra adiectæ templo vrbis Fribergæ, vbi illustrissimus Princeps Henricus, Alberti filius, Mauricij pater, terræ mandari corpus suum mortuum voluit, quòd viuis vsu, habitatione q; vrbis illius, & ciuium consuetudine ac familiaritate imprimis fuisset delectatus, ibi q; magnam partem vitæ ætatisq; suæ exegisset.

Semper autem ciuitas illa incredibili submissæ venerationis studio Henricum coluit, vt principem & charitatis maximæ affectione singulari dilexit, vt parentem. Atque nunc erga illustrissimum genus ipsius, nouis etiam munificæ clementiæ meritis deuincta, grati memorisq; & cupidi animi propensionem declarare conata, ædiculam

illam

illam amplificatam speciosissima renouatione exornauit.

Spectat hæc orientem Solem, vndiq; patentibus fenestris luminosa, in quâ principum Henrici patris & filij Mauritij corpora sita sunt, sepultis ibidem aliquot illustrissimæ stirpis huius paruulis liberis Et nuper etiam Illustrissimæ originis matre. Eo loco supra basin in planicia ad normam directa, laterum quatuor monumentum Mauritianum est extractum. Est autem planiciæ illius figura altera parte longior, quæ sunt Græcis *Πηδα Πυλῆν* à fronte, & tergo circiter passus sex, & vtrinq; circiter passus octo procedens: vt totum spacium compræhendat circiter quadraginta & octo passus.

In aditu gradus tres attolluntur, inq; angulis horum duodecim collocatæ sunt effigies mulierum, specie lugubri & tali habitu gestuque, vt meditari videantur aliquid, quod mortui fama bona & presentibus & posteris prædicando commendetur. Quas esse Musas nouem, & Gratias tres, facile intelligi potest.

Supra hos gradus variæ imagines diuerso ornatu, & dissimili facie circumquaque oppositæ sunt, præ se clypeos singulæ ferentes, in quibus insignia illustrissimæ domus illius depicta proponuntur.

nuntur. Spacia autem à fronte, & tergo, itemque ad dexteram, & sinistram ubi aperiuntur, ibi quasi tabellæ dispositis columellis includuntur, continentes illa, quorum paulò ante meminimus, capita, ortum, vitam totam, res gestas, obitumque ducis Mauricij perstringentia, minoribus quidem in apertis spacijs illis, quaternæ tabellæ senæ extant.

Lapis est sanè è longinqua adductus regione, niger ille quidem, sed perpolitus gratissimo nitore relucens, & admittens non modò sculpturæ, sed colorum quoque multiplicem & diuersam confirmationem.

Marmor Dinanticum vocant. In marmoris illâ mole supremâ statua conspicitur, ad Ducis Mauricij similitudinem efficta, sic quidem vt tanquam in genua flexi species repræsentetur, facie oris in cœlum sursum erecta, & intuente effigiem propositam IESV CHRISTI, quem & viuus ille religiosè veneratus fuisset, & cuius misericordiæ se commisisset moriens.

Etsi autem & membrorum ex Alabastro concinnitas, & staturæ constitutio, totiusque corporis habitus D. Mauritium præclare designat, vt cuius imago ea sit, non indigeat admonitore is, qui illum vidit vnquam: eximia tamen nota in simu-

lachro est, vultus eminent & celsus, qualis in ipso viuente excitatus, præstantiam animi nescientis timere declarabat. Quanquam autem in saxo quoque fortitudinis confidentia apparet, admista tamen maximo artificio & supplicis figura, vt implorantis & precantis personam illam, esse facile intelligi possit.

Ibidem quàm proximè inscripta egregijs aureisque literarum latinarum formis hæc leguntur: P. M. C O N S. quod pronuciari ita posse arbitror: pijs manibus consecratum, vel certè, piæ memoriæ, vel etiam posteritati memoriæ. Fortassis etiam principum monumenti constituti.

*Sequuntur deinceps ista: vtpote Tabule
prima in/cryptio:*

MAVRITIVS D. SAXON. D. D. D. HEIN-
RICI F. ALBERTI N. FRIDERICI II.
ELECT. PRON. IN HAC CELEBRI
METALL. VRBE NASCITVR XII. CA-
LEND. APRIL. MATRE CATHARINA
MECHELVRG. D. MAGNI F. AN-
NO CHRISTI IESV

M. D. XXI.

Quibus vltimis literis ducis nomen, quod Magni fuit indicatur. Is enim & hanc filiam duci Henrico in matrimoniū collocavit, ex duabus reliquis, vnam laudatissimo, & sanctissimo principi

Iohanni

5

Iohanni duci Saxonum, & post fratrem Fridericum Imperatoribus creandis Septemviro, patri ducis Iohannis Friderici optimi, & virtute atq; religionis studio excellentissimi principis, qui ipsi in illa septemvirates dignitate successit. Altera ex duabus his nupsit Illustris Principi Vilhelmo Philippi maximi, & exquisita prædicatione dignissimi principis patri, Landgrafio Hessorum, principi summo & fortissimo. Atque huic mentioni ducis Mauritij in hanc vitam procreati, additur anni quoq; indicium, quod duci Christiana consuetudine solet à nato in terris virgine matre Filij Dei Domini nostri IESV CHRISTI millesimi, quingentesimi, vicesimi primi.

Propinqua alia (secunda) tabella in illa mole marmorea, insculptam habet scripturam istam:

AVVS MAVRITII DVX ALBERTVS,
FRIDERICI III. ET MAXIMILIANI
IMPERATORVM HOSTES MATTHIAM
REGEM VNGARIÆ REPVLIT EX
AVSTRIA, CAROLVM GALLIÆ E
TOTO EIECIT BELGIO, OBIT

M. D.

Hoc est elogium Ducis Alberti celebrans præcipuas res bellicas ipsius.

*Tertia tabula inscriptionem hanc
habet:*

C 2

PATER

PATER MAVRICII DVX HENRICVS,
 GVBERNATOR PHRYSIORVM IN
 VRBE FRANICA, DE VITA PERICLI-
 TATVR, TVM PERAGRATA PALÆSTI-
 NA ET GALLECIA, VXOREM DV-
 CIT ANNO ÆTATIS SVÆ XXXIX.

M. D. XII.

Duci Alberto, cùm pro opera nauata Impe-
 ratoribus Romanis, vel mercedis, vel præmio-
 rum nomine, permissum fuisset, occupare Frisix
 quædam loca, quæ Imperium Romanum recusa-
 rent, ductu ipsius, gentis ferocis, neque ignauæ
 contumacia, ac robur est retusum atque fractum.
 Qui tum in potestatem suam, ditionemq; plerisq;
 omnibus redactis, aliena tamen adhuc voluntate
 (quemadmodum esse solet eorum, apud quos in-
 uitos gubernationis prioris forma mutatur) re-
 gioni illi, atque populo filium Henricum præfe-
 cit, qui, non multum abfuit, quin proditus, & sce-
 lerata fraude captus, interficeretur. Sed re indica-
 ta, & periculo filij cognito, celeriter succurrit illi
 pater, & terrore aduentus sui, tanquam aquila im-
 belles auiculas, insidiatores vitæ filij sui fugauit,
 atque repulit, & impendentis mortis discrimine,
 omniq; cura liberauit filium. Mentionem hîc
 facit D. Camerarius Magni Fuxij Neydhardi, no-
 bilis cuiusdam ex Franconia Fuxiorum familia

præci-

præcipua, qui dupla fuit propemodum maiore statura, quàm est communis nostrum plurimorum, quæ altitudinem cubitum quatuor vix attingit. Id ita cognitum est. In gentilicia arce illius anno Christi M. D. XXIV. adhuc vnâ cum galea, quam Neydhardus gestasset maximi ponderis, ocreæ etiam repertæ, conspectæque sunt illius, tali forma, vt infra coxam fuisse ad ipsius femora explicatè adductas appareret. Harum longitudinis mensura fuit dodrantum septem, qua (vt sit à planta pedis ad coxam) posita, & ea nostris corporibus comparata: Fuxianæ altitudinis spatium indicatum, proportione perquirendo inuenietur. Ist tandem insidijs multis petitus, magnoq; Frysiorum numero cinctus, machine bombardicæ globo ictus perijt. Corpus deportatum Groningam fulciendo adminiculis quibusdam, in foro medio erexerunt, spectaculum iucundum ijs, qui paulò ante nomen Magni Fuxij perhorruerant, & quibus ista virtus ingentia dederat damna. Memoriâ certè & admiratione dignissima, & admodum iucunda hîc inspersa narratio.

Sed nunc ad propositum: Post illud tantum periculum Princeps Henricus & iuuentute adhuc vicens, & cupiditate videndi externa loca, fortasse & religionis aliqua affectione impulsus, cum Hie-



rosolyma nauigauit, tum ad Cantabros, vt Apostoli Iacobi sepulchrum aspiceret, est profectus. Atque reuersus & maritus fit, & in suæ terræ hæreditaria parte prospera gubernatione regendo præest, & illustrissimam vtriusque sexus sobolem suscipit, & post aliquot annos, secundùm quartæ tabulæ indicium;

GEORGIO FRATRE MORTVO, HEN-
RICVS PROVINCIIS EIVS POTI-
TVR, FOVENSQVE A' TRIBVS AG-
NATIS DEFENSAM RELIGIONIS ET
VERITATIS CAVSAM. DIVINO PA-
TRIAM AFFECIT BENEFICIO.

M. D. XXXIX.

Non esse profectò aliud beneficium maius potest, quod à gubernatore & principe in subiectos potestati, & commissos ad protegendum fidei suæ conferatur, copia salutaris doctrinæ, & sanctæ religionis. Tres autem illos, quos Elogium agnatos vocat, paulò ante nominauimus, Fridericum, Iohannem, Iohannem Fridericum. Ex quibus Fridericum, & Iohannem habuit Henricus fratres patruales, Iohannem Fridericum eo gradu, vt propius sobrino secum coniungeretur, cum accederet & à matre affinitatis necessitudo.

*Sed iam quintæ tabulæ inscriptio
recitetur:*

MAV-

MAVRITIVS DVX AGNETEM, PHILIP-
PI HASSIÆ LANTGRAVII F. NATV
MAX. EX QVA ALBERT. F. INFAN-
TE ÆTAT. MORTVVM, ET ANNAM
SVSCEPIT, CONIVGEM ELIGIT
ANNO ÆTATIS SVÆ XX.

M. D. XLI.

Hoc coniugium vt suavisissimum fuit, sic acer-
bissima accidit morte ducis Mauritiij dissolutio
illius.

*Sequitur tabula sexta, in qua exarata hæc
leguntur:*

PATRI HENRICO AD REGNA COELES-
TIA EX ÆRVMNIS HVMANIS FELI-
CITER SVBLATO, MAVRITIVS
SVCCEDIT, MAGNA EXPECTATIO-
NE VIRTVTIS, SVMMA ORDINVM
OMNIVM GRATVLATIONE.

M. D. XLI.

Neque expectatio, neque opinio de eximia
D. Mauritiij virtute, pietate erga DEVM, amore
patriæ, constantia, fide, clementia quemquam
frustrata est aut fefellit.

Septimo loco cernuntur insculpta hæc verba:

ECCLESIAS ET ACADEMIAS CON-
SERVAVIT, AVXITQVE, TRES EXI-
MIOS LVDOS INSTITVIT, DRES-
DAM, LIPSIAMQVE SPLENDIDE
MVNIVIT, ARCES NOVAS EXTRV-
XIT, ORNAVIT VETERES.

M. D. XLII.

Quic-

Quicquid hoc loco conspicitur, quicquid in re scholastica firmum, stabile, præclarum est, omnem liberalis institutionis spem, & optimarum disciplinarum studia, atque dignitatem ab hoc principe fundatam, confirmatamque habemus. Illius amplissimo dono hoc iam templum (intellige collegium Lipsicum) piarum Musarum est, & tribus alijs in scholasticis contubernijs (intellige scholas tres illustres, vnam ad Albim, alteram ad Muldam, tertiam ad Salam sitam) eæ tanquam stirpes conferuntur, quæ adultæ in nostram Academiam transferuntur, vbi plenos fructus producant religiosæ & piæ doctrinæ.

Octauæ tabulæ scriptura hæc est :

CVM ELECTORE AGNATO ORTA DE VVRCINA OPPIDO CONTROVER-
SIA SPECIMEN INDUSTRIÆ SIN-
GVLARE DEDIT, ET CONSILIA PA-
CIS, SVADENTE SOCERO LAND-
GRAVIO, LIBENTER ADMISIT.

M. D. XLII.

*In nona tabula pulcherrimi facinoris, & gloriosæ
rei mentio fit his verbis :*

IN EXERCITV ROM. IMPERII AD BV-
DAM VNGARICAM EDVCTO, NON
ANIMVS DVCIS PRÆSENTIOR,
NON VIRTYS MILITIS SPECTATI-
OR FVIT, QVA'M D. MAVRICII SV-
IS SPLENDIDIIS MILITANTIS.

M. D. XLII.

In quod

In quod discrimen inciderit D. Mauritius non est obscurum. Sed cùm restarent adhuc alia ingentia opera, ad quæ natus, & aptus esset, cohercuit tunc scilicet & repressit diuina attentio incitatum vim interitus, & ijs rebus, ad quas exequendas administro & effectore D. Mauritio vlturam se esse decreuisset, vitam, incolumitatemque eius conseruauit. Itaque barbarorum armis petitus, & ex equo, quem in subito tumultu fortè arripuerat, deiectus, vnoque fidissimo Satellite (cognomine Ribischio, qui militem illum, qui Mauritio iacenti ictum minabatur, occidit, & cæteros, qui hostili eundem animo prosequerantur, repulit, donec ex ephippio confossi equi expeditus, dux in castra reduceretur. Atque ita hic Ribischius ducis corpus corpore suo texit, caputque eius defendit) ita vulnerato, vt in castra relatus paulò post moreretur, & hostilis tamen violentiæ conatus euasit, & laudem eximiam nomenque formidabile barbaris est adeptus.

Decimæ scripturæ summa hæc est :

CAROLO V. IMPER. CONTRA GALLIÆ
REGEM FRANCISCVM AD OPPIDVM
VEROMANDVORVM LANDRESIVM,
OPEM TVLIT, PRO SVA,
SVORVMQVE MAIORVM ERGA IMPERATORES
PERPETVA OBSERVANTIA.

M. D. XLIII.

D

Et

Et undecimæ ista:

CAROLO ITERVM CONTRA GAL-
LVM AVXILIO VENIVNT IPSE, ET
FRATER D. AVGVSTVS, CVM EQVI-
TATV LECTISS. ET AD DIVVM VI-
CTORINVM HOSTES PARI ALACRI-
TATE, ET IMPETV AGGRESSI CLA-
RAM REPORTANT VICTORIAM.

M. D. XLIIII.

Multorum recitatione noti sunt Imperatoris excellentissimi Caroli sermones testes singularis affectionis erga Mauritium, & indices admirationis, cum & animosam virtutem iuuenis Principis ille suspiceret, & suo sibi tempore operam nauantem magnoperè diligeret. Qui tum afficerunt; cum præsidium Landresio impositum creberrimos globos omnis generis machinis diuersis, in oppugnantes vndiq; intorquerent: Dux autem Mauritius ne ictuum quidem incertorum periculis deterreretur, quò minus confidentissimè in campos apertos profectus occasionem quæreret, damno molestiaque aliqua afficiendi hostes: illi igitur, qui interfuerunt rebus istis, narrarunt Imperatorem Carolum, metuentem vitæ & saluti animosi Principis, aduectum propius iussisse quodam loco, quem statim demonstrasset, eum consistere. Quod arridens diceret: Non tenere omnes rationem inter ictus tormentorum obseruandi.

Simul

Simul præfens periculum, vt vitaret Mauritius, simul deinceps in prælijs vt esset cautior admo- nens: Hanc speciosam, atque illustrem mentio- nem quædam veluti nubecula minus commodæ, atq; oportunæ commotionis excipit, sic indicatæ duodecimo loco:

HENRICVM DVCEM BRVNSVICEN- SEM SOCERO, ET AGNATO IMPA- Ratis, ARMASVBITO INFEREN- TEM, SVO ADVENTV TERRVIT, ET ACTIONES ITA MODERATVS EST, VT BELLVM IAM ARDENS SINE CÆ- DE RESTINGVERETVR.

M. D. XLV.

Et decimo tertio:

IN GERMANIA GRAVISSIMO BELLI TVMVLTV EXCITATO, D. MAVRI- TIVS REBVS DVBIIS, PATRIAM, ET SVBDITOS SVOS RESPICIENS, CVM IMPERAT. CAROLO SATISFECIS- SET OFFICIO S. VIM ET INIVRIAS A SE, ET SVIS VNDIQVE PROPVL- SAT.

M. D. XLVI.

Et decimo quarto:

REBVS PACATIS D. MAVRITIVS CA- ROLI IMP. BENIGNITATE GENTILI- TIA DIGNITATE AVCTVS, ROM. IMPERII VII. VIR, ET ENSIFER PR. ELECTOR RITV SOLENNI DECLA- RATVR AVGVSTÆ VINDELICORVM VI. CAL. MARTII.

M. D. XLVIII.

Decimo quinto autem:

VRBEM MVNITISS. MAGDEBVRG,
 PACTIONES A CAROLO OBLATAS,
 RECVSANTEM, PVBLICÆ MILI-
 TIÆ DVX FACTVS, GRAVITER OB-
 SIDET, QVAM MENSE DEMVM XV.
 CONDITIONIBVS SANE' TOLERA-
 BILIBVS IN POTESTATEM REDE-
 GIT.

*M. D. LII.**Mox decimo sexto:*

DVRANTE OBSIDIONE, NE QVA OC-
 CASIO IN GERMANIA NOVI TV-
 MVLTVS RELINQVERETVR, IN AGRO
 HADELENSI, VERDENSIS DIOECE-
 SIS COLLECTAM MILITVM MA-
 NVM INCREDIBILI VIRTUTE ET
 CELERITATE DISSIPAT.

*M. D. LI.**Et rursus decimo septimo:*

VT FIDES SOCERO SERVARETVR D.
 MAVRITIVS BELLVM NECESSARI-
 VM MOVET, ALPIVM RHETIC. FAV-
 CES OCCVPAT, ET CAROLO IMP.
 CONDITIONES ACCIPIENTE PAS-
 SAVIÆ PACEM RELIGIONI, LI-
 BERTATEM PRINCC. DECVS GER-
 MANIÆ RESTITVIT.

M. D. LII.

Similis Carolo Imperatori, quem non no-
 strorum temporum, sed veterum illorum nomi-
 nemus,

nemus, occurrit nemo, quiq; idem de se verè dicere potuit, quod Africanus versibus quemadmodum puto, Ennij:

A sole exoriente supra Mæotis paludes

Nemo est qui factis me æquiparare queat.

Narrati fuere etiam sermones Caroli, declarantes existimationem de virtutis Mauritianæ efficacitate. Cùm enim Carolus ad pontem Oenipore agrotus tunc commemoraretur, neq; vel vecturæ gestationisue motum perpeti posset, & aduentantem tamen ducem Saxonum eo loco ac tempore aspicere nollet, ferunt quendam ex præcipuis Hispanicæ gentis proceribus hortatum Imperatorem, vt bonum animum haberet, cùm, quamunitione interposita, quòque imposito præsidio arcerentur ab aditu aduersarij, non ignoraret. Tum Carolus, vt accepimus, numquid putaret circuitu quopiam ad verticem montis illius, vbi esset extractum castellum claudens iuga, & eas fauces obstruens, perueniri, aut per rimas etiam rependo euadi ascendiq; posse crederet? non negante illud Hispano, sed neq; ingenij in ista hominum natione, vt aggredi difficultates tales scirent, neque patientiæ esse tantum, vt labores eos perferre vellent, dicente: At ego, iam si vlla accessio vsquam est, castellum amissum esse, inquit Caro-



lus, iudico, cui non tam exercitus, qui adducebatur, quàm qui illum ducebat, notus esset. Eamq; opinionem nuntius expugnati, captique castelli Ereburgi nomine, mox comprobauit.

Decimæ octauæ tabulæ inscriptio.

EODEM STATIM, REBUS COMPOSITIS, EXERCITV, TVRCICAS IN VNGAR. COPIAS TERRORE NOMINIS SVI INTRA PRÆSIDIA CONTINET, INSVLAM DANVBIANAM MVNIT, CLADIS EXITIOSÆ METVM GENTI PENE OPPRESSÆ ADIMIT.

M. D. LII.

Non præteriére, ex quo arma ista expedita sunt, tam multi anni, neq; metus tum allatus non solùm Pannonijs sed vicinix, ac propemodum toti Germanix, tam paruus fuit, vt obliuione ea, quæ hoc loco indicantur, obrui potuerint. Cùm quidem Turcica præsidia, cognitis certaminibus nostrorum, vndiq; confluxissent, & non spernendi exercitus speciem haberent, neque oppositæ essent copix, quæ impressionem istam sustinerent. Vbi audierunt ad Pannonias mitti aliquos, qui pro illo regno propugnarent, eò magis ad inuadendum ipsum festinarunt. Postquam verò fama de duce Mauritio (qui missi ad tutandum regnum exercitus caput esset) peruenit ad aures ipsorum, terro-

re no-

re nominis veluti attoniti subito recesserunt, & dissipati, vnde quisque cum suis accesserat, eò se statim receperunt, non modò abiecta spe plura occupandi, sed timore etiam in suis munitionibus consistendi, iniecto. Satisfecerat D. Mauritius DEO & hominibus, præstiterat fidem, insolentiam Germaniæ molestantem, ac grauem, & fluiuij rapidi instar diffluentem, coërcuerat, calliditatem malitię infestam simplicis virtutis integritati, refutarat, esse neque eneruatos, & non impunè ludibrio habitos Germanos docuerat, perfecerat etiam, vt iam rectiùs meliusque, & certiùs intelligeret vnusquisq; quid ageretur, & diceretur: cùm euenit, vt ea D. Mauritio offerrentur, quæ tabula decima nona refert his verbis:

ALBERTO BRANDEBURGICO ARMIS, ET INCENDIIS IN PATRIAM SEVIENTI. PROPE ARCEM PEINAM, AD VICVM SIFFRIDHVSIVM CONGRESSVS, IN CURSV VICTORIE GLOBO FERREO FERITVR, TERTIO POST DIE OBIIT V. ID. IVLII.

M. D. LIII.

Cuncti tum suspensis animis stupebant, æquales etate, magnorum bellorum socios, animis non multum dispares, viribus & viris neutrum altero inferiorem, ingentes non diuersis partibus orbis,

vt Poë-

vt Poëta de Aenea & Turno, sed indidem, & ex eadem patria, natione, penè familia,

Inter coiffse viros & cernere ferro.

Sed victoria virtute Mauritij parta simul eum rebus humanis exemit, simul reliquam ab illo spem stabilis & firmæ pacis cum dignitate sancienda ademit. Sed consolemur nos, & dolorem minuamus voluntatis diuinæ cogitatione. Et quamquam omnes res, quæ necessitatem habent, tristes esse solent, & feruntur grauitè, cùm tamen DEO moderante sortita esse hunc finem negotia illa iudicandum sit, æquo animo patiamur hoc incommodum atq; damnum, & repetamus animis oraculi paululum mutatum versum, quem Cicero est interpretatus:

Sic fuit vtilius finiri ipsiq;, alijsq;.

Hac de re hos suauissimos versus vir clarissimus Georgius Sabinus conscripsit:

Confluxere duæ volucres Iouis: vtraq; rostro,

Vtraq; vulnificis vnguibus acris erat:

Altera Misniacæ custos Mauortia gentis,

Altera Marchiacæ fortis alumna Domus:

Ambæ animis, pennisq; pares rutilantibus ambæ:

Hæc minij fulgens, illa colore croci.

Corpore lassæ suo tandem defessaq; pennis

Succubuit, qua se Marchia iacet, avis,

Ac tamen

Ac tamen euasit : terræ Misneidos ales

Occubuit plagis exanimata suis.

Altera sic pennas, sic perdidit altera vitam :

Quæ facta est, neutri pugna secunda fuit.

Cætera permittamus DEO æterno, illique gratias toto pectore non desinamus agere, cum sublatus è medio principis Mauritij successorem Fratrem benignissimè conseruatum esse voluit, cuius eximiæ pietatis illustrissimum officium, & opus insigne prædicat commemorando vigesimæ in monumento Mauritianæ tabulæ scriptura postrema, hoc modo :

AUGUSTVS D. SAXON. PR. EL. D.
MAVRITIO, FRATRI DILECTISS.
S. BELLIS OMNIBVS VICTORI P. F.
MAGNANIMO P. M. CAUSA H. M. P.
C. CVM ILLE GLORIA PERPET. VI-
XISSET ANNOS XXXII. M. III. D.
XXI. H. X.

Hæc clausula vt pulcherrimos titulos habet D. Mauritij, & luculentis eum illustrissimæ laudis nominibus ornat : sic celebrat ad omnem posteritatem commendatura charitatis fraternæ pietatem atq; studium. Quibus, quod potuit, erepto consuetudinis suauissimæ vsu, persoluit superstes fratri frater. Illi quidem inuictò in terris, & pietate præstanti, & profectò felici quoque vel rerum

E

gesta-



gestarum fortuna, vel obitus etiam talis conditio-
 ne. Nam qui sic & vixit, & mortuus est, is felix,
 beatusque sine dubio perhiberi debet. Hoc pro-
 curante pietas religiosa, & veneratio sancta DEI
 frequentatur, exercentur studia optimarum disci-
 plinarum & artium, ciuiliū rerum, negotio-
 rumque tractatus & hominum commercia sunt li-
 bera, fructuosaque & iucunda. Hic & tranquilli-
 tatem vitæ degendæ largitur, & periculorum ter-
 rores omnes remouet, & multiplicia suis commo-
 da conciliat.

Anno Domini 1595. in mense Nouembri
 cancellis ferreis insigni arte fabrili elaboratis au-
 roque obductis, varioque colore exornatis altitu-
 dinis trium vlnarum, vndiq; cinctum probè mu-
 nitum est Mauritij monumentum, vt ad id, sicut
 antea, nemini accessus pateat. Ab vtroque latere
 dextero & sinistro horum cancellorum processus
 in ianuas obseratas desinunt, quibus vtrinque clau-
 ditur huius sacelli exedra tota marmorea, in qua,
 sicut mox indicabitur, collocatæ sunt Principum
 & Electorum statuæ, cum eorundem sepulchris.

Tantum de tumba illustris. Elect. Saxonici
 D. Mauritij, quam plurimi honesti viri intueri
 desiderant, opusque visum admirantur, memo-
 riæ causa hîc inferere volui, minimeque dubito,

quin

quin pijs omnibus erit gratissimum: eamque ob
causam adiungam eiusdem D. Mauritij colos-
sum, & aliquot eidem à viris doctis composita
Epitaphia.

Ingredientibus in sacellum illud, in sublimi
à sinistro latere apparet lapidi insists D. Mau-
ritij colossus, faciem illius corporisque staturam,
& longitudinem repræsents. Caput gestat ga-
leam illam, qua in acie indultus fuit cum crista
nigra: collum & thorax circumdantur lorica &
clypeo, velaminibus rubris & albis à collo vsque
ad cinctum dependentibus, in hypochondrio au-
tem dextero ictus, quo in prælio non ab hoste,
sed alio quodam perfido nebulone à tergo, ferreo
globo vulneratus perijt, charta inserta, vt à quo-
uis conspici possit, notatur: manu dextera lan-
ceam, quam tum gestavit, tenet: sinistrum latus
gladio, dexterum pugione, quo vsus est, cingitur:
A tergo conspicua sunt vexilla octo, quibus equi-
tes in prælijs vtuntur, & quatuordecim peditum,
quibus victor potitus est.

Epitaphia autem, quæ Heroi isti & patriæ
defensori præcipuo, scripta quidem, sed sacello
isti non imposita sunt, nonnulla hîc addenda iu-
dicauimus:

ILLVSTRISS. PRINCIPI MAVRITIO
 DVCI SAXONVM, ELECTORI &c,
 DEFENSORI PATRIAE, INCLYTO
 VICTORI.

Magnanimi busto Maurity principis isto,
 De septem sita sunt vnius ossa viris.
 Subq; hoc depositum requiescit marmore corpus,
 Inuidiq; solo condita membra ducis.
 Qui vestigia maiorum per auita suorum
 Virtutis gradiens, & pietatis iter:
 Ipse sibi pulchræ peperit noua nomina laudis,
 Et studuit proprium conciliare decus.
 Ergo hoc non alius magis excelso tulit vllus
 Afflictis patriæ pectore rebus opem.
 Aduersatorem metuit vis impia solum,
 Inceptis metuit fraus violenta suis.
 Præsidio fuit hic populis Germanidos oræ,
 Et quasi Teutonice firma columna domus.
 Terror ab hoc etiam Turcis est additus. Illum
 Externi solum pertimere Ducem.
 Nunc, dum conatur patriæ succurrere fessæ,
 Et contra hostilem vim parat auxilium:
 Ipse cauet minus incerto se credere Marti,
 Heu dolor, accepto vulnere, lesus obit.
 Victor obit pulsus, & stratis hostibus, atq;
 Heu rursus dolor, in castra reuersus obit.

Sed

Sed tua M. AVRITII clari decora alta Triumphi,
 Laudis & extinguet nomina, nulla dies.
 Perpetuò viues. Nam nescit funera virtus,
 Nec pereunt fortis strenua facta manus.
 Æternum viues, terræ Germanidos Heros,
 Iuncta recens stirpi gloria Saxonica.
 Inq̄ tuus CHRISTO post multa pericla laborum
 Spiritus, æthericæ dona quietis habet.
 Cui tua relligiosa fides te tradidit, adq̄
 Conuerse illius numina sancta preces.
 Migne vale, patriæ decus, & protectio, princeps,
 Et reliqua accisis rebus adempta salus.
 Splendida te celebrat studiorum fama bonorum,
 Et tacet ingenuæ Musicus artis honor.
 Et T V A fronde tuum cingit parnaside, semper
 Palladioq̄ virens germine R V T A caput.
 Te locus atq̄ ætas nunc admirabitur omnis,
 Candidus & titulos rumor vbiq̄ vehet.
 Illustrissime salue Heros, salue optime Princeps,
 Inuicte ô salue Dux, patriæq̄ Pater.
 O salue atq̄ vale, te nunc laudabit & hostis,
 Et mala felicem deseret inuidia.

Reuersus in castra est, accepto vulnere ictus im-
 prouisi in prælio fuso, dissipatoq̄ exercitu hostium,
 ibiq̄ obiit diem S. N. Id. Quint. Princeps opt. &
 max. cum v. Ann. XXXII. M. III. D. XXI. H. X.
 claudens vitā S. placidissimo & religiosissimo fine.

INDICIVM ANNI MORTIS.

*TeVtonICas fVror Vt tVrbabat sæViter oras,
MaVrICIVs prInceps VICtor, & ICtVs, obIt.*

Ioachim. Camerarius
Pabeberg. F.

MAVRITIO VICTORI, DVCI SAX.
SEPTEMVIRO GERMAN. PRIN-
CIPi FORTISS.

Mauritius cecidit, bellax Germania plange,
*Amiffa imperij quanta columna tui?
In tua Mars armis cur impie viscera sæuis?
Ecce tuum cecidit sæua per arma decus.
Mauritij tumulum cernens Germania plange,
Pectore magnanimo non habitura parem.*

Georgius Fabricius
Chemnicenf. F.

Annus, Ætas, Genus causæ, & Mortis il-
lustris. Saxonix Principis Electoris
MAVRITII, in prælio occumbentis
continetur hoc Disticho:

*MaVrICIo arCentI patrIIs CerVICIbVs Ignes,
Fata tVLIe IVVenI tortVs In Igne gLobVs.*

Id est M. D. LIII. Ætatis XXXII.

M. Valentinus Apelles
Gubinenfis.

MaV.

*MAVRICIVS prInCeps, CharVs VltVtIbVs heros,
Pro patria pVgnans fortIter oCCVbVIIt.*

M. D. LIII. Michaël Hemp. F.

Mauritij filius ALBERTVS Dresdæ ex hac vita emigravit proxima die Lunæ post Iudica, cum vixisset septimanas XIX. & dies II. Anno Domini M. D. XLVI. In patrio monumento Fribergi sepultus, gloriosam in die nouissimo resurrectionem cum omnibus Electis ad vitam æternam expectat, itidem vt & soror ANNA, iuncta principi Vranix, quæ Misenæ sepulta est.

SEQVNTVR NVNC EPITAPHIA RELIQVORVM DVORVM ILLVSTRIS. Electorum, aliorumque Principum Saxonix, vt ea cum alijs quibusdam scriptis, dictisque præcipuis ex Prophetis & Nouo Testamento, marmori candido maiusculis literis incisa in eodem facello leguntur.

Stratum est hoc facellum marmore albo splendide speculis non absimili perpolito, quo etiam parietes exornati sunt: In intima facelli parte versus ortum conspicitur, arte mira elaboratum altare marmoreum. Huic insistit pendens de cruce

ex ori-

ex orichalco dominus, propè quam crucem à latere dextro astat statua ex eadem materia Iohannis Baptistæ digitis monstrantis CHRISTVM, cum hac inscriptione :

Iohan. 1.

Ecce agnus DEI, qui tollit peccata mundi. Hic est, de quo dixi, post me venit vir, qui ante me fuit, Quia prior me erat.

A latere sinistro cernitur statua orichalcea Diui Apostoli Pauli, cum hac inscriptione :

1. Timoth. 2.

Unus DEVS, & vnus mediator DEI, & hominum, Homo CHRISTVS IESVS, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.

Huic Altari à tergo ad dextrum latus posita cernitur IUSTICIA dextera manu gladium, libram sinistra tenens : ad sinistram CHARITAS, huius sinistræ insidet puerulus : alter eidem astans manu sinistra erecta pomum continet : dextera tertium ducit.

Supra Iusticiam collocata est SPES, gestans in dextra manu auem Nisum : singulis lateribus assunt Angeli singuli, quorum dexter tenet columnam, in qua loris flagrisque cæsus est in pas-

sione

sione Dominus: Sinister arundinem cum spongia, per quam scriblita, vt Tertullianus nominat, cum felle & aceto, Iohannes Euangelista quoque herbam amarā & saporis insuauis hyssopum addit, mixta potatur sitiens in cruore Dominus, habet hic angelus in manu sinistra clauos tres hebetes, quibus cruci affixus est saluator generis humani.

Supra Charitatem cernitur FIDES, longam dextera crucem, apertum sinistra librum tenens: Illi astat Angelus crucem, in qua toto corpore laceratus, corona spinea compunctus, & clavis confossus, expirauit IESVS CHRISTVS, verus Deus, ac homo, cuius postea latus lancea vulneratum omnibus miseris peccatoribus apertum est: huic astans Angelus vna manu coronam spineam, altera lanceam continet.

Hæ autem quatuor Christianæ virtutes orichalco infusæ, iusta hominis magnitudine, conspicuæ sunt, in earumque medio resurrectio Domini viri statura, cuius mox post Electoris Christiani tumbam, quemadmodum & sanctæ crucis ibidem fiet mentio, aspectu est iucundissima.

Altari à fronte ad dextram statuæ Illustrissimorum Principum, & duorum Elector. Sax. ad sinistram statuæ Illustrissimar. Coniugum ex ad-

uerso, flexis genibus, & complicatis manibus, marmoris nigro à terra ad vlnas tres eleuato, cum his inscriptionibus maiusculis literis, orichalco infusæ apponuntur.

H E I N R I C V S A L B E R T I F.

Friderici II. Electoris Nep. Dux Saxon.
Landgra. Turing. Marchio Misniæ. Na-
tus Anno Christi M. CCCC. LXXIII.
D. XVI. M. Martij.

Princeps eximius, qui cum altitudine animi coniunxit æqualitatem, & clementiam. Adolescentiam egressus profectioes in Galeciam, & Palæstinam religionis ergò suscepit; inde iussu Patris Frisiæ cum imperio præfuit. Domi hoc in loco sedem habens, & sua sorte contentus etiam suo iudicio beatè vixit. Extincto cum liberis fratre ad paternæ hæreditatis possessionem peruenit.

In solida administratione Prouinciæ diuino beneficio populum suum affecit, dum emendationem doctrinæ Ecclesiasticæ instituit. Quod factum cum homines improbi non agnoscant, ingrati parui faciant, temerarij contemnant: Æterno tamen Angelorum & sanctarum mentium testimonio non carebit. Vitam mortalem cum sempiterna commutauit Anno Christi M. D. XLI. D. XVIII. M. Augusti.

Terra

Terra dedit fructum suum, benedicat nobis Deus, Deus noster. Psal. L X V I I.

Lapidi D. Henrici orichalco intusa cum reliquis, infra germanicè leguntur.

KATHARINA, Magni Ducis Megalopurgensis F. Henrici Ducis Sax, coniunx, nata anno Christi.

Heroïna corporis & animi dotibus illustris, prisca matronarum virtute præcellens, charitate erga suos, beneficentia erga pauperes commendabilis: & quod caput est sinceræ religionis studiosa: Mater illustrissimæ sobolis, trium masculi sexus, totidem fœminei: mortale suum corpus hoc in sacello deponendum curavit.

Cœlestem in patriam spe firma, & fide ducibus migravit, cùm vidua ab excessu mariti per X X. fermè annos permansisset, Anno Christi M. D. LXI. D. X VI. Iunij.

Sicut Sol oriens cœlum Altissimi ornat, sic mulier virtute præstans domus suæ ornamentum est. Syrach XXVI.

AUGUSTVS Henrici F. Dux S. R. I. VII. Landgra. Turing. Marchio Misn. Burgg. Magdeburg. Natus Anno Christi M. D. XXVI. D. XXXI. M. Iulij.

Augustus pius, fortis, pacificus, felix & sapiens Princeps, domi vrbes operibus munijt: Ditionem edificijs magnificis ornauit: Academias censu locupletauit: Sacerdotum pupillis, & viduis, ne egeant, prospexit: Patriæ iudicijs & legibus correctis optimè consuluit: vt contentiones de doctrina cœlesti ad piam concordiam reducerentur, nulli curæ, operæ, & sumptui pepercit.

In Imperio, consilio & autoritate maximus: Imperatoribus quatuor ob fidem, & virtutem charus: Cum Senatus conf. Imperij, patria intestinè laborante, iussus esset dare operam, ne quid Respub. detrimenti caperet, motus factiosos compressit: Germaniam pacauit, rebus gestis amplissimus placidissimè expirauit D. XI, Mense Febr. M. D. LXXXVI.

Ecce dedi cor sapiens & intelligens, dedi diuitias, & honorem, 1. Reg. 3.

ANNA CHRISTIANI III. Daniæ Regis F. Augusti Ducis Saxon. Electoris coniunx, Nata Anno Christi M. D. XXXII, D. XXII. M. IXbris.

Serenissimis parentibus progenita, & omnibus matronalibus virtutibus præclarissima Herois: adeoq; totius sexus religione in DEVM, fide

in ma-

in maritum, diligentia in liberis educandis, sedulitate in curando, prudentia in administrando res domesticas; illustre decus.

Mater liberorum X V. Filiorum I X. Filiarum V I. quæ, vt moriens viueret, vixit vt moritura: obijt regia soboles, & tot plantis cœlestibus fœcunda mater. Anno Christi M. D. L X X X V. D. I. M. V I I I b r i s.

Benedicat tibi Dominus, vt videas filios filiorum, pacem super Israël. Psal. C X X V I I I.

CHRISTIANVS Augusti F. D. Sax. S. R. I. V I I. Landgra. Turing. Marchio Misn. Burgg. Magdeburg. Natus Anno Christi M. D. L X. D. X X I X. M. Octob.

Christianus magni animi, & maximi ingenij Princeps, nihil humile, nihil abiectum cogitans, castus, ingenuus, verecundus in vita, & moribus, splendoris elegantia, & artificiosi ordinis studiosus: Veritatis amans, superbiae osor, & mendaciorum hostis acerrimus: patiens laboris, industrius, ad omnia impiger: alter quasi Cato, & rigidi seruator honesti, in dictione Iuris, quam omnium ordinum hominibus æquabilem esse voluit.

Hunc in ipso ætatis flore ex oculis hominum,

non ex memoria, mors eripuit: Heu immatura,
quæ tantam spem S. R. I. inuidit & interceptit. Æ-
terna cum DEO felicitate frui cœpit Anno Chri-
sti M. D. XCI. D. XXV. M. VIIbris.

*Sicut turris David collum tuum, quæ edi-
ficata est cum propugnaculis, & ex qua mille
clypei dependent, & scuta Heroum. Cantic. 4.*

Electoris Christiani tumbæ, quam vexilla
XVI. aliquandiu circumdabant, sequentia ma-
iusculis & literis aureis inscripta leguntur:

Serenissimus Princeps CHRISTIANVS, DUX
Saxonix, S. R. I. VII. mortale quicquid erat hîc
deposuit: Immortalis animus æterna cum Deo
immortali felicitate fruitur. Tu viator humanæ
fragilitatis memor, para te, vt mox vocatus subse-
quaris ijsdem vestigijs veræ in Deum pietatis, ac
fidei, quibus ipse antegressus fuit.

Hæc autem tumba vnà cum vexillis die 27.
Ianuarij 1596. amota, & è sacello translata sepo-
sita est.

In exedra à tergo sanctæ crucis, in qua supra Al-
tare marmoreum Dominus pendet, sequen-
tes versus ascripti sunt:

V *V*ulnera pendentis CHRISTI, roseumq; cruorem
*I*nspice, qui CHRISTI nomine nomen habes:

Et

Et causas expende crucis : peccata parentum ,

Et tua , nam tanta tu quoq; causa necis.

Tu sic debueras tundi , figiq; moriq;

Pœna premit meritò , quem sua culpa premit.

Pertulit illa , tuam dum sortem CHRISTVS obiuit ,

Oblatus iusto victima iusta DEO.

Hinc mors victa iacet : peccatum triste gemiscit :

Lex filet : Infernus mutit : Olympus ouat.

Ira Dei sublata , Dei clementia parta :

Reddita vita tibi , redditus omnis honos.

Huic igitur confide : tibi diffide , piasq;

Huic omni grates tempore letus age.

Ad Resurrectionem Christi.

Matthæi XII.

Sicut Jonas tribus diebus , & tribus noctibus fuit in ventre ceti : Ita Filius hominis tribus diebus , & tribus noctibus erit in ventre terræ.

In honorem Autoris seu Architecti :

Hospes quod dico paululum est , asta , & pellege : Sacellum hoc illustre , quod vides , quinquennij spacio extructum est , arte mira , labore multo , sumptibus verò maximis. Eius extructioni

non

non interfui solùm , sed etiam præfui semper I O-
 HANNES MARIÆ NOSSENIUS LVGANEN-
 SIS ITALVS. Nec verò operis egregij forma
 hæc tantùm à me architecto profecta est: sed &
 materiam ipsam hisce in terris primus ipse per-
 quisiui, inueni, excolui. Hoc vt ne esses nescius
 lector, duxi indicandum in honorificam memo-
 riam, non tam mei, quàm terræ huius, in qua id
 omne genus marmor nunc eruitur. Imò fortissi-
 morum, inprimis Saxonix Ducum, & Electorum,
 qui terræ tam vberi feliciter, & cum laude impe-
 rant. Dixi: abi; vale, & benè precare. Artifici,
 quisquis artem hanc egregiam non odisti iners.
 M. D. XCIII.

Supra hæc Epitaphia, & statuas columnis ad
 Prophetarum pedes dominatus, & comitatus
 Principum, & Electorum Saxonix cum suis in-
 signibus appositi sunt, singulis supernè ex orichal-
 co singuli astant Angeli, insignia verò singulorum
 ab Angelis bonis vtrinq; continentur, cum ger-
 manicis inscriptionibus in hunc modum:

Comitatus Rochlicensis.

Grasschafft Rochlitz.

Dominatus Eulenbergensis.

Herrschaft Eulenberg.

Domi-

Comitatus VVeissenfeldensis.

Grasschafft Weissenfels.

Dominatus Torgauensis.

Herrschafft Torgaw.

Dominatus Donensis.

Herrschafft Donen.

Dominatus Gleisbergensis.

Herrschafft Gleißbergk.

Comitatus VVittingensis.

Grasschafft Wittung.

Comitatus Burggrauiorum Misnensium.

Burggraffthumb Meissen.

Dominatus Roslauenensis & Apoldensis.

Herrschafft Roslau vnd Apoldo.

Dominatus Bergauensis.

Herrschafft Bergau.

Comitatus Arnshaugensis.

Grasschafft Arnschau.

Comitatus Grætschenensis.

Grasschafft Größsch.

Dominatus Plauenensis & VVeidensis.

Herrschafft Plauen vnd Weidau.

Comitatus Eckersbergensis.

Grasschafft Eckerßbergk.

Dominatus VVolckensteinus.

Herrschafft Wolckenstein.

Comitatus Leisnicensis.

Grasschafft Leisnick.

Comitatus Zerbignus.

Grasschafft Zerwigk.

Dominatus Colticensis.

Herrschaft Goltz.

Electoꝝ verò Saxonix duobus Augusto Patri, & Christiano filio, Comitatus Hennebergensis quoque supra capita est appositus. Quem admodum Catharinæ, Henrici Saxonix Ducis coniugis, Principum ac Ducum Megalopurgensium: & Annæ Augusti Electoris coniugis Serenissimorum Daniæ Regum, miro certè artificio elaborata insignia capitibus imminent.

5 Visuntur supra hoc Dominatus & Comitatus in loco altiori statux octo Prophetarum, statura virili, quibus singulis dicta ipsorum singula, & præcipua ad rem præsentem directæ, subscripta sunt:

Danielis XII.

Michaël Princeps magnus stabit: qui stat pro filijs populi sui.

Ieremiæ XXIII.

Et vocabunt eum, Dominus iustitia nostra.

Ioëlis

Ioëlis I I.

*Omnis quicumq; inuocauerit nomen Do-
MINI, saluabitur.*

Micheæ VII.

*Dominus proyiciet in profunditates ma-
ris omnia peccata nostra.*

Zachar. IX.

Rex tuus venit Iustus & Saluator.

Malach. III.

*Orietur vobis timentibus nomen meum
SOL IUSTITIÆ.*

Hoseæ XIII.

*De manu inferni liberabo eos, à morte redi-
mam vos.*

Esaïæ LIII.

*Correctio super eum, vt habeamus pacem,
& liuore eius sanati sumus.*

Supra has octo Prophetarum statuas in loco
supremo, fornici proximo visuntur alię ex orichal-
co non adeò magnę statuę triginta quatuor, par-
tim stantes partim sedentes.

Desuper in caua fornicis apparet Dominus,
iusta viri magnitudine, veniens in nubibus cœli

in postremo die ad vltimum iudicium, & è lateribus illi assistunt Angeli decem, quorum vnus gestat crucem, alter scalam, tertius clauos, & coronam spineam, quartus statuam, cui in flagellatione in prætorio alligatus fuit, in testimonium huius iustissimi iudicis, atq; hæc omnia splendidissime auro sunt obducta, aspectuq; gratissima. Quintus lanceam & spongiam. Sextus tenet dextra gladium, sinistra libram, reliqui quatuor inflant tubas. Prospiciunt præterea quasi turmatim ex nubibus capita angelorum pulcherrima, & dulcissima; vt opinor, respexisse architectum, vel ad Epinicion Angelorum, seu Musicam cœlestem nato Christo. Lucæ 2. vel ad locum Matthæi 25. vbi ipse Dominus inquit: Cùm venerit filius hominis in gloria, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ.

Extrinsæcus hoc sacellum ambiunt, atq; sustentant septem lapideæ altitudinis vlnarum quadraginta duarum, columnæ firmæ & probè munitæ, quarum pinnis totidem pyramides vlnarum octo, vexillis cupreis quidem sed inauratis, illustrissimiq; Electoratus Saxonici signis arte elaboratis, quibus aër exploratur, impositæ conspiciuntur: Aqua pluuiialis & niualis longis, ex cupro factis, canalibus tribus, per capita Draconum

auro,

auro, coloribusq; decorata de tecto deducitur.
Vnaque in ambitu maiusculis literis hæc sunt
obuia:

IN HONOREM ILLUSTRISS. ELE-
CTORVM, AC PRINCIPVM SAXON.
PIE DEFVNCTORVM SACELLVM
HOC, IN QVO CARNIS SVÆ RE-
SVRRECTIONEM GLORIOSAM
EXPECTANT, AB ILLUSTRIPOSTE-
RITATE EPITAPHIIS SPLENDIDIS
ORNATVR ANNO CHR.

M. D. XCIIII.

Sub hac inscriptione hæc leguntur:
DEO OPT. MAX. GLORIA, & nomen
Architecti literis quinque initialibus

I. M. N. L. I.

E regione in columna septima prope angu-
lum sub tecto hæc ponuntur:

Wer Gott vertrawt/
Hat wol gebawt.

Additur nomen secundi Architecti his cha-
racteribus HB. H. E. Iohannes Irbischius
Bawmeister.

Quia verò in hoc sacello illustris Dux Saxo-
niæ Henricus cum coniuge illustri ac Domina
Catharina, cum duobus illustrissimis filijs Electo-
ribus, & tertio Electore nepote cum viginti & vna

personis illustribus filiabus, nuru & nepotibus in Christo placidè quiescit, inscriptiones singulorum, ut eæ sunt orichalco lapidibus sepulchralibus literis germanicis infusæ, hîc addam. Hæ autem latinè sic sonant:

Prima Persona illustris hîc sepulta.

Anno Domini 1541. die 18. Augusti placidè in CHRISTO expiravit illustris Princeps ac Dominus, Dom. HEINRICVS Dux Saxon. Landgrafius Turing. & Marggrafius Misniæ, hîc sepultus, requiescat in pace.

Secunda illustris Persona.

Anno Domini 1561. die 1. Iunij, mortalis esse desijt illustris principissa ac Domina, Domina CATHARINA, Ducis Megapolitani filia, Ducis Saxonie, Landgrafij Turingie, Marchionis Misnie, Henrici piæ & illustris memoriæ coniunx, eius anima in Christi gremio letatur, corpus autem sub hoc lapide placidè quiescens, gloriosam cum omnibus Electis resurrectionem expectat.

Tertia illustris Persona.

Anno 1546. die Lunæ post Iudica, primogenitus Ducis Mauritij filius ALBERTVS obdormiuit, cum vixisset septimanas XIX. & dies II.

Quarta

Quarta illustris Persona:

Ducis Saxon. Augusti primogenitus filius I O H A N N E S H E I N R I C V S obdormiuit in Domino, cum vixisset septimanas X X V I I. dies V. Anno Domini 1550. die 12. Nouemb.

Quinta illustris Porsona.

Ducis Augusti primogenita fil. L E O N O R A, expirauit, cum vixisset vnum & dimidium Annum, Anno Christi 1553. die 24. Aprilis.

Sexta illustris Persona.

Anno 1557. die 21. Nouemb. Ducis Augusti quartus fil. I O A C H I M V S ex hac miseriarum valle decessit, cum vixisset septiman. X X V I I I. dies V I.

Septima illustris Persona.

Anno 1558. die 4. April. Dresdæ moriebatur Ducis Augusti V. filius H E C T O R, cum vixisset annum I. septiman. X X V, dies V. requiescat in pace.

Octaua illustris Persona.

Anno 1558. die 6. Nouembris Ducis Augusti III. fil. M A G N V S placidè ex hac vita discessit anno ætatis suæ I I I. Mens. V I. die I.

I X. Illustris Persona.

Anno 1562. die 8. Martij ducis Augusti III.

fil. M A-

fil. MARIA nascitur, atq; hinc iterum auocatur,
Anno 1566. die 6. Ianuarij.

X. Illustris Persona.

Anno 1565. die 28 Ianuarij in lucem edita
est, Ducis Augusti V. fil. AMALIA: atq; rursus ex
hac mortali vita erepta est ad æternam eodem an-
no 1565. die 2 Iulij.

XI. Illustris Persona.

D. ALEXANDRO D. D. AVGVSTI D.
SAXON. S. R. IMP. VII. VIRI, ET AN-
NÆ EX REGIA STIRPE DANORVM
F. OBEDIENTISS. ET LITERARVM
STVDIIS PRÆCLARIV'S, AC PER
ÆTATEM FIERI POSSE CREDERE-
TVR, INSTITVTO, ALVI PROFLV-
VIO DRESTÆ IDIBVS VIIIBRIS
ANNO A' NATO CHRISTO M. D.
LXVI. PIE MORTVO, CV' M VIXIS-
SET AN. XI. M. IX. D. XV. H. VI.

Eidem hæc scripsit Ioachimus Camerarius
Pabebergensis oratione XI. Funebri, Pag. 343.

ILLVSTRISS. PRINCIPI, AC DO-
MINO, DOMINO ALEXANDRO,
illustrissimi Principis ac Domini, Domini AV-
GVSTI Princip. Elect. F. Duci Saxon. Land-
grafio Duringiæ, & Marchioni Misniæ &c. Eximiæ
indolis, & præclarissimæ spei adolescenti: qui
morbo octidui mortem obiit religiosa pietate De-
um æternum venerans, in fide IESV CHRI-
S-TI, & vera inuocatione Christi Iesu.

M. D. LXVI.

Desieras

DEsieras puer esse modò illustrissime Princeps,
 Iamq̄ adolescentis conditionis eras.
 Formosi vitæ iam currere puberis anni,
 Et pulchrum ætatis conspicuum esse decus:
 Indolis eximius iam sese ostendere raræ
 Et veræ elucens crescere laudis honor,
 Atq̄ salutare hoc iam terris sidus oriri,
 Quod spem ferret opis præsidijq̄ nouam:
 Cum te inopinatæ rapuit violentia mortis,
 Vnaq̄ tam præstans abstulit hora bonum.
 Ac velut irriguis nuper flos lætus in hortis,
 Et spondens fructus commoda magna sui:
 Emissa gelida ad flatus Aquilonis ab arcto,
 Vota sui frustrans interit agricolæ,
 Demittensq̄ caput moritur, mutatq̄ colorem,
 Suavis & in ventos deditus exit odor:
 Sic Princeps cadis ante tuum illustrissime tempus,
 Fatali subito fila secante manu.
 Ponunturq̄ extructa tui monumenta sepulchri,
 Cernere quæ sicco lumine nemo potest:
 Siue tuo ex populo quondam, siue aduena & hospes,
 Casus enim cunctos flebilis iste mouet.
 Talia saxo insculpta, aut æri incisa legentes,
 Vt sit & hoc seræ posteritatis opus.
 Condit Alexandri hoc templi sub fornice tellus
 Depositæ teneri corporis exuuias.

Saxonicae in primis hoc stirpis nobile germen
 Decussit rapidae saeva procella necis.
 Fecit & ut terra hunc lugens defleret ademptum
 Te posthac maius vix habitura decus.
 Aucta sed hoc socio gauisa est regia caeli,
 Spiritu in aethereas ingrediente domos.
 Quae si non patuere nisi iuuenilibus annis
 (Ut stant consilijs omnia recta DEI)
 Felix morte tua defunctus es optime Princeps,
 Iam tranquillo animo speq; metuq; vacans,
 Moleq; curarum liber, neq; turbidus ira,
 Perpetuaq; fruens in quiete, DEO.
 Sancte vale Princeps, sanè est tua vita beata,
 Iamq; euenerunt gaudia vera tibi.
 At desiderio indulgens, mestoq; dolori,
 Ista tibi lachrymis gens tua iusta facit.
 Et memorem grat o persoluit pectore luctum,
 Funera flebilibus condecorando modis.
 Sancte valeq; iterum, & salue illustrissime Princeps,
 Et tua tecta solo molliter ossa cubent.
 Tecta solo patrio, vestraeq; in puluere terrae
 Sunt vbi praecelsae caetera busta domus,
 Vrbe metalli feris quae circum quaq; fodinis
 Praedita, gaudet auo se placuisse tuo.
 Hoc satis est, placidè tua Princeps ossa quiescunt,
 Et leuis abscondit nobile corpus humus:

Dum

*Dum qui est largitus renouans hoc viuere rursum,
Restituendo animi pristina dona, velit.*

XII. Illustris Persona.

Anno 1569. die 23. Octobris, Iunior Ducis Augusti (patris nomine dictus) filius VII. Dresdæ natus, anno sequenti 1570. die 12. Februarij expirauit, cùm vixisset septimanas XVI.

XIII. Illustris Persona.

Anno 1571. die 8. Iulij, Stulpenæ nascitur Dux ADOLPHVS, & moritur Dresdæ die 12. Martij. Anno 1572. ætatis XXXV. septiman. dier. III.

XIV. Illustris Persona.

DOMINA SIDONIA illustris. Ducis Saxon. HEINRICI fil. Erici Ducis Brunsvicensis coniunx, nascitur Fribergi 8. die Martij, Anno 1518. Christo animam suam commendans placidè obdormiuit Leucopetræ die 4. Ianuarij, Anno 1575. Ætatis suæ anno LVI. septiman. XLIII. die I.

XV. Illustris Persona.

Ducis Augusti IX. fil. Dux FRIDERICVS natus Annæburgi, D. 18. Iunij An. 1575. ibidem quoque ex hac vita discessit. Die 24. Ianuarij. Anno 1576. vixit septiman. XXXI. D. III. H. XX.

XVI. Illustris Personæ.

Anno 1585 die 1. Octobris vesperi post horam 7. illustrissima Principissa ac Domina, Domina ANNA, è stirpe regia Danica Electoris Saxon. Augusti, Christianæ & liberalis memoriæ, coniunx Dresdę obdormiuit in Domino: Deus eidem perpetuum gaudium, & beatitudinem clementer largiatur, Amen.

Sandapilæ huius, è plumbo candido, cuius generis reliquæ Sandapilæ omnes etiam sunt, extrinsecus est in medio pendens de cruce Saluator & redemptor totius mundi, cum inscriptione Pilati his characteribus I. N. R. I. Additus est à latere dextero Angelus vnus cum hoc dicto, Iohannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* E regione in sinistro latere insculptus cernitur Angelus secundus, cum dicto Psal. 31. & Luc. 23. *DOMINE IESU CHRISTE, in manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me DOMINE DEVS veritatis.*

Infra crucem Domini, ex vtroque latere sese inuicem intuentes exsculpti sunt Angelus tertius & quartus, qui Leones tres cum regijs coronis, (vtpotè serenissimorum Daniæ Regum insigne) manibus suis continent.

Postea

Postea leguntur ibidem hæc verba: In hac Sandapila quiescit illustrissimæ Principissæ ac Dominæ, Dominæ ANNÆ, natæ ex regia stirpe Danica, ducissæ Saxonix, & Electorissæ corpus, cuius Anima die I. Octobris post horam vespertinam, anno 1585. in CHRISTO redemptore placidè hinc emigravit.

XVII. Illustris Persona.

Anno 1586. die 11. Februarij, hora VI. in Domino beatè obdormiuit illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus Augustus Dux Sax. sacri Roman Imper. Archimarschallus, & Elector, Landgrafius Turingiæ, Marchio Misniæ, Burggrafius Magdeburgensis, cui DEVS lætam ad perpetuam beatitudinem resurrectionem largiatur.

Sandapilæ huius, itidem vt & coniugis, etiam insculptus est Saluator & redemptor noster, pendens in cruce, cum his supra caput literis I. N. R. I. In crucis dextero latere leguntur hæc verba: *Actor. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, omnis qui crediderit in eum. E regione sinistri lateris, Iohan. 3. Qui credit in eum non condemnatur, qui verò non credit, iam condemnatus est, quia non credidit in nomen vnigeniti filij Dei.*

Infra crucem Domini leguntur hæc:

Erhalt uns GOTT bey deinem Wort.

Et:

In hac sandapila vsq; ad lætam, & gloriosam Resurrectionem, depositum custoditur, olim illustrissimi Principis ac Domini, Domini AUGUSTI Ducis Sax. S. R. I. Archimarschalli & Electoris, Landgrafij Turingiæ, Marchionis Misniæ, & Burggrafij Magdeburgensis, sanctæ & liberalis memoriæ, mortale corpus, huius animam omnipotens, & misericors Deus die 11. Februarij Anno 1586. ex hac miseriarum valle ad se, vt in æternum lætetur, auocauit.

XVIII. Illustris Persona.

Anno Domini 1591. die 25. Septemb. manẽ hora 7. in Deo placidè obdormiuit Illustris. Princeps ac Dominus, Dominus CHRISTIANVS, Dux. Sax. S. R. I. Archimarschallus, & Elector, Langrafus Turingiæ, Marchio Misniæ, & Burggrafus Magdeburgensis, cui Deus propter dilecti filij sui IESV CHRISTI meritum, lætam & gloriosam ad vitam æternam resurrectionem largiatur, Amen.

XIX. Illustris Persona.

Illustrissimi Principis ac Domini, Domini

Chri-

Christiani Ducis ac Electoris Sax. primogenita filiola ANNA SABINA, nata Dresdæ Anno 1586. die 25. Ianuarij manè hora 5. ibidem in Domino expirat, Anno eodem, die 24. Martij, manè post horam 6. cui Dominus Christus lætam resurrectionem in die nouissimo tribuat.

XX. Illustris Persona.

Illustrissimi Principis ac Domini, Domini Christiani Ducis ac Electoris Saxon, tertia filiola ELISABETHA nascitur Anno 1588. die 21. Iulij, hinc à Deo auocatur anni sequentis die 4 Martij, cuius animam & corpus DEVS in nouissimo die rursus coniunctum, in perpetuum cœleste gaudium introducet.

XXI. Illustris Persona.

In hoc Sacello sepultus est Illustris, Dux & Elector Saxon. MAVRITIVS, cuius monumenti constitutio posita & explicata est.

Atq, hoc est Sacelli illius splendidissimi, maximisque sumptibus extructi & ornati, Illustrissimorum Principum atque trium Electorum Sax. κοινῆς descriptio. Longitudo eius est vlnarum quadraginta trium, latitudo verò exedræ, hemicycli formam referentis, quæ intus tota est marmorea, vlnarum est quatuordecim & dimidię:

Alte-

Alterius autem, vbi Mauritius sepultus est, latitudo continet vlnas quadraginta quatuor. Altitudo autem interna à fornice vsque ad terram, vlnarum est triginta & duarum.

Munitum est postea, & clausum duabus ianuis cancellatis artificiosè elaboratis & pictis.



L I P S I A E

Imprimebat Michaël Lantzenberger.

Impensis Michaëlis Rhodij, Bibliopolæ
Chemnicens.

2/4. 489.


ULB Halle 3
004 971 434


VD17

MIC







KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

ENTA
PTIO,
extructi Sa-
strisimorum
& reliquorum
Saxonie &c. mo-
nentur, Fribergi
olo collegiato,
irgine no-
st,

lucem edita

HEMPELO
ENSI.
CTORIA.

I Æ,
er imprimebat.
o cIII.

BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

